



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Divi Thomae Aqvinatis Doctoris Angelici Opera Omnia**

Summa diligentia ad exemplar Romanæ Impreßionis restituta

Complectens Quæstiones, Qvæ Dispvatæ Dicvntvr, & Quæstiones  
Quodlibetales, siue Placitorum eiusdem S. Thomæ

**Thomas <von Aquin, Heiliger>**

**Venetiis, 1593**

Vtrum sit vitium capitale.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72780](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72780)

tale. Si autem loquamur de amore & desiderio stri-  
cte, sic avaritia semper est peccatum mortale. Cum  
enim amor & desiderium sit boni, bonum autem  
proprie & principaliter sit finis, id autem quod ad  
finem ordinatur, non habeat per se rationem boni  
nisi propter ordinem finis: inde est quod amor &  
desiderium proprie & principaliter est finis, secun-  
dario autem eorum quae sunt ad finem. Si ergo aua-  
ritia dicatur amor & desiderium temporalium bo-  
norum, ita quod in eis finis constituatur, avaritia  
semper erit peccatum mortale. Converti enim ad  
bonum creatum sicut ad finem, facit auersionem ab  
incommutabili bono, quod debet esse ultimus finis,  
eo quod non possunt esse plures ultimi fines. Si vero  
avaritia dicatur inordinatus amor, vel desiderium  
rerum huius mundi communiter loquendo, sic non  
semper avaritia est peccatum mortale: quia ut habe-  
tur in gl. 1. ad Corin. 3. super illud, si quis superedifi-  
cat &c. quidam adhuc amant secularia, & negotijs  
terrenis implicati sunt: ita tamen ut cor eorum non  
recedat a Christo, & nihil Christo proponant.

AD PRIMUM ergo dicendum, quod Apostolus non dicit,  
quod omnis avarus simpliciter non habeat partem in regno  
Christi & Dei: sed addit quod est idolorum servitus.  
Illa enim avaritia a regno Christi & Dei excludit,  
quae comparatur idolatriae, eo quod honor Deo debitum  
exhibet creaturae, in quantum in temporalibus bo-  
nis finem constituit, quod soli Deo debetur.

AD SECUNDUM dicendum, quod cupiditas extinguens  
charitatem, est illa quae finem constituit in tempo-  
ralibus bonis. Illa autem quae in eis finem non con-  
stituit, quamuis superexcedat debitum modum, non  
extinguit charitatem: sed impedit eam in suo actu,  
& per hoc patet solutio ad tertium.

AD QUARTUM dicendum, quod obiectio illa procedit  
de avaritia secundum quod opponitur iustitiae: non tamen  
iustitiae opponitur. potest enim contingere quod aliquis il-  
liberalis est in hoc, quod non dat quod laudabile esset  
dare, quod tamen dare non est debitum: vel quia etiam  
illa quae dat, cum tristitia & parcitate dat. Basil. autem  
loquitur in casu illo, quando aliquis tenetur bona  
sua pauperibus erogare, puta, cum ei superfluum sit,  
secundum illud Luc. 11. Quod superest, date elemo-  
synam. & talis est avaritia contrariatur pietati, ut  
glossa ibidem dicit. Unde patet solutio ad quintum.

AD SEXTUM dicendum, quod ratio illa procedit de  
avaritia secundum quod finem in temporalibus bonis  
constituit, & similiter dicendum ad septimum.

AD OCTAVUM dicendum, quod alio modo est insa-  
nabilis avaritia, & alio modo, peccatum in spiritu  
sanctum. peccatum enim in spiritu sanctum dicitur esse  
insanabile ex perfecta inhaesione voluntatis ad pec-  
catum. Qui enim peccat per ignorantiam, non eligit  
peccatum nisi per accidens. Eligit enim, id quod est  
peccatum quod tamen nescit esse peccatum. Qui vero  
peccat per infirmitatem, eligit quod est peccatum  
per se: sed tamen ex causa de facili transiente. sicut prope  
passionis: sed ille qui ex certa malitia peccat,  
eligit peccatum ut secundum se appetibile, & ideo  
talis insanabilitas pertinet ad gravitatem peccati: sed  
avaritia dicitur esse insanabilis propter conditionem  
subiecti, quia humana vita continue vergit in defe-  
ctum. Omnis autem defectus incitativus est ad aua-  
ritiam, propter hoc enim temporalia bona quaeruntur,  
ut subveniatur defectibus praesentis vitae.

Ad id vero quod primo in contrarium obicitur,

dicendum, quod obiectio illa procedit de avaritia  
secundum quod constituit finem in bonis tempo-  
ralibus, quae inordinate amat vel cupit.

AD SECUNDUM dicendum, quod avaritia secundum  
liberalitatem magis opponitur virtuti liberalitatis  
prodigalitati, ut Philo. probat in 4. Ethic. Et ita pro-  
digalitas non ita de facili est peccatum mortale, sicut  
cut illiberalitas vel avaritia.

AD TERTIUM dicendum, quod congregare tempora-  
lia bona contra iustitiam, semper est peccatum mor-  
tale. unde dicitur Abacuch 2. Vae ei qui multiplicat  
non sua. Similiter etiam congregare tempora-  
lia bona, etsi non sit contra iustitiam, constituit tamen  
in eis finem, est peccatum mortale.

AD QUARTUM dicendum, quod non accipere aliquid  
secundum se consideratum, non habet rationem peccati,  
sed non accipere ea quae ab aliis dantur sub hac  
intentione ne ipsi aliis dare cogant, est vitiosum.

ARTICULVS III.

Vtrum avaritia sit vitium capitale.

TERTIUM quaeritur, utrum avaritia sit vitium capi-  
tale. & videtur quod non, quia avaritia uno mo-  
do liberalitati opponitur, ut dictum est: sed libera-  
tas non est virtus principalis, ergo neque avaritia  
vitium capitale.

¶ 2. Præter. Vitium capitale sicut supra dictum est, est  
illud, ex quo alia vitia oriuntur secundum rationem capi-  
talem: sed hoc non videtur avaritia competere, quia  
pecunia quae est avaritiae materia, non habet ratio-  
nem finis: sed semper appetitur, ut utile ad finem.

Philosophus dicit in 1. Ethicor. ergo avaritia non est  
vitium capitale.

¶ 3. Præter. Vitium capitale est ex quo alia vitia  
oriuntur: avaritia ex alijs vitijs oritur, dicitur enim Greg. 3. Mo-  
nitiu, quod aliquando oritur per elationem, aut per  
morem. Dum enim quidam deficere sibi ad vitam  
necessaria timent, mentem ad avaritiam relaxant,  
alii qui dum potentiores videri appetunt, ad aua-  
ritiam remeritum ambitum succedunt, ergo avaritia  
non est vitium capitale.

SED CONTRA est, quod Greg. 3. Moralium  
treatat avaritiam inter vitia capitalia.

RESPOND. Dicendum, quod avaritia inter vitia capi-  
talia computari debet. Cuius ratio est, quia hoc  
praedictum est, vitium capitale dicitur quod  
aliquem principalem finem, ad quem nata sunt  
multa ordinari, & sic secundum originem capi-  
talis ex tali vitio multa alia oriuntur. Finis  
totius humanae vitae est beatitudo, quam  
appetitur: unde in quantum in rebus humanis  
quid participans quancunque beatitudinis cau-  
tionem, vere uel apparenter habet principalem  
quandam in genere finium. Sunt autem tres cau-  
tiones felicitatis secundum Philosophum in 1. Ethicor.  
sicut quoddam perfectum bonum, & per se iustitia  
& cum delectatione. In tantum autem aliquod  
num videtur esse perfectum, in quantum ex  
se quoddam principaliter appetibile, & secundum  
hoc superbia uel inanis gloria ponitur vitium capi-  
tale. In rebus autem sensibilibus maxima delectatio  
est circa tactum in cibis & veneris, & ideo pro  
luxuria ponuntur vitia capitalia. Sufficientiam  
temporalium bonorum maxime promittunt, ut  
ut Boetius dicit in 2. & 3. de Consol. unde et avaritia  
est inordinatus appetitus diuitiarum, debet per  
vitium capitale. Cuius ponit Greg. 3. Moralium

BR Augustin  
lib. de fide  
& operibus  
cap. 16. ante  
med. tom. 4.

In loco cita-  
to in arg. 5.

ptem filias quæ sunt proditio, fraus, fallacia, pueria, inquietudo, violentia, & contra misericordiam obduratio: quarum distinctio sic accipi potest. Ad avaritiam enim pertinent duo; quorum unum est superabundare in retinendo, & ex hac parte ex avaritia oritur obduratio contra misericordiam, siue inhumanitas: quia videlicet obdurat eor suu avarus. Ne alicui misericorditer de rebus suis subveniat. Aliud autem ad avaritiam pertinens est, quod superabundat in accipiendo, & secundum hoc avaritia dupliciter considerari potest. primo quidem secundum quod est in corde avari, & sic ex ea oritur inquietudo: quia ingerit hominum sollicitudines & curas superfluas. Avarus enim non impletur pecunia, ut dicitur Ecclesiast. 5. Secundo vero considerari potest, prout est in executione operis, & sic in acquirendo aliena, utitur quicquid vi, & sic sunt violentia: quandoque autem dolo, qui quidem si fiat verbo, erit fallacia in simplici verbo, quo quis decipit alium ad lucrandum. In verbo uero iuramento confirmato, erit perjurium. Si autem dolo committatur in opere, sic in rebus quidem erit fraus, quam ad personas autem proditio: sicut patet de Iuda, qui propter avaritiam factus est proditor Christi.

AD PRIMUM ergo dicendum, quod virtus perficitur secundum rationem: vitium autem perficitur secundum inclinationem appetitus sensitivi, & ideo non oportet, quod dicitur principale vitium opponatur principali virtuti: quia secundum aliud attenditur principalitas in vitio, & virtute.

AD SECUNDUM dicendum, quod pecunia, etsi habeat rationem utilitatis: quia tamen habet rationem uniuersalem, eo quod pecunia obediunt omnia, sicut dicitur Eccle. 10. ex hoc ipso habet quandam similitudinem felicitatis, unde secundum hoc avaritia est vitium capitale, ut dictum est.

AD TERTIUM dicendum, quod nihil prohibet vitium capitale, ex quo multa vitia ut plurimum oriuntur, quandoque etiam ab aliis vitijs oriri, ut supra dictum est.

ARTICVLVS IIII.

Vitium mutare ad usuram, sit peccatum mortale.

QUARTO queritur, utrum mutare ad usuram sit peccatum mortale. Et videtur quod non nullum. enim peccatum mortale est concessum in lege diuina: sed dare mutuum ad usuram est concessum in lege diuina. Dicitur Deut. 23. Non fenerabis fratri tuo ad usuram pecuniam, nec fruges, nec quamlibet aliam rem, sed alieno. ergo dare mutuum ad usuram non est peccatum mortale. Sed dicendum, quod hoc non est concessum illi populo, sed magis permissum propter eius duritiam, sicut & libellus repudij.

¶ 2 Sed contra, illud quod permittitur tamquam malum, non reprobatur ut premium iustitiae: quod non permittitur ut premium, inducitur ut bonum & desiderandum: sed dare mutuum ad usuram permittitur in lege Dei ut premium iustitiae. Dicitur Deut. 28. Fenerabis Gētibus multis & ipse a nullo fēnā accipies. ergo dare mutuum ad usuram, non est peccatum mortale.

¶ 3 Prætermittere consilium non est peccatum, quia ut dicitur 1. ad Corinth. 7. Mulier non peccat si nubat, quamuis consilium uirginitatis prætermittat: sed dare mutuum absque usura, ponitur inter consilia. Luc. 11. Diligite inimicos uestros, & benefacite illis qui oderunt uos, & date mutuum nihil inde sperantes. in quo phibetur usura, ut multi exponunt. ergo dare mutuum ad usuram, non est peccatum mortale.

¶ 4 Præter. Sicut homo habet dominium suæ domus, aut

equi, ita etiam habet dominium suæ pecuniæ: sed homo potest locare domum suam, aut equum pro pretio: ergo pari ratione potest homo accipere premium, pro pecunia quam mutuat.

¶ 5 Præter. Non videtur esse pactum illicitum, si aliquis ad hoc obligetur ad quod tenetur ex iure naturali: sed ex iure naturali tenetur homo ut aliquid recōpenset ei, quod sibi beneficium contulit. Ille autem qui pecuniam mutuat, aliquod beneficium conferat: subuenit enim necessitati indigentis. ergo si pro hoc beneficio aliquo certo pacto obligeretur cui mutuat ad hoc, quod aliquid sibi retribuatur, non videtur esse pactum illicitum.

¶ 6 Præter. Ius positium a iure naturali deriuatur, ut Tullius dicit in sua Rhetorica: sed ius civile permittit vsuras, ergo non est contra ius naturale dare mutuum ad vsuras. ergo non est peccatum.

¶ 7 Præter. Si dare mutuum ad usuram sit peccatum, oportet quod alicui virtuti opponatur, & cum in edicatione quadam consistat. si in mutuo, videtur maxime iustitiæ opponi, si peccatum sit. nam iustitia circa hominū edicationes consistit, ut dicitur in 5. Ethic. Sed iustitiæ non opponitur. Non enim potest dici quod ille qui soluit vsuras, iniustum patitur. neque enim patitur iniustum a seipso, quia nullus sibi ipse facit iniustum, ut Philosophus probat in 5. Ethic. neque et ab alio, quia nullus patitur ab alio iniustum, nisi per dolum aut violentiam, quorum neutrum est in proposito: quia volens & sciens ille qui accipit mutuum, vsuras soluit. ergo nullo modo patitur iniustum. ergo nec vsurarium facit iniustum. non ergo peccat. Sed dicendum, quod est ibi violentum mistum, vult enim ille qui accipit mutuum, vsuras dare quasi coactus.

¶ 8 Sed contra, violentum mistum ibi habet locum ubi aliqua necessitas imminet, sicut patet in eo quod projicitur merces in mare, ne periclitetur navis: sed quicquid aliqui accipiunt mutuum ad vsuram absque magna necessitate. ergo ad minus in tali casu concedere mutuum ad vsuram, non est peccatum mortale.

¶ 9 Præter. Quilibet potest alienare illud, cuius est dominus: sed ille qui dat vsuram, est dominus suæ pecuniæ quam vsurario dat. ergo potest eam alienare, & ita vsurarius qui recipit, potest eam licite retinere.

¶ 10 Præter. In contractu mutui duæ personæ cōeurrunt, scilicet debitoris & creditoris: sed creditor potest dimittere de eo quod sibi debetur. ergo & debitor potest absque peccato amplius dare.

¶ 11 Præter. Multo grauius est occidere hominem, quam accipere pretium pro pecunia mutuata: sed occidere hominem in aliquo casu licet. ergo multo magis dare pecuniam ad vsuram in aliquo casu est licitum.

¶ 12 Præter. Illud ad quod homo se obligat, licite potest ab eo exigere: sed ille qui dat vsuram, ad hoc se obligauit, quod mutuum accipiat. ergo licite vsurarius potest exigere.

¶ 13 Præter. Simonia committitur quocumque munus accipiatur siue a lingua, siue a manu, siue ab obsequio. si ergo accipere munus a manu pro pecunia mutuata, esset peccatum mortale, pari ratione etiam videretur, quod etiam quocumque obsequium aliquis acciperet pro pecunia mutuata, esset peccatum mortale, quod videtur valde durum.

¶ 14 Præter. Duplex est interesse, quoddam quidem ex eo quod aliquid non adest: quia, si aliquis non acquisiuit quod acquirere potuisset, & ad hoc interesse non obligatur aliquis. Aliud est interesse ex eo quod aliquid adest: quia, si aliquid subtractum est alicui de hoc quod habebat, & de tali interesse nascitur obligatio: sed contingit quoadque quod ex pecunia mutuata aliquis damnif.

In lib. 2. de iniectione in fol. 5. ante finem libri.

Li. 5. c. 2. non procul a fin. & ca. 4. to. 5.

Lib. 3. c. ult. tom. 5.